De peste Antoniniana commentatio. Quam ut locus in Facultate medica Universitatis litterariae Fridericae Guilelmae rite sibi concederetur scripsit / [J.F.C. Hecker].

Contributors

Hecker, J. F. C. 1795-1850. Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.

Publication/Creation

Berolini: A.W. Schade, 1835.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kczh3atd

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org forfiles Coulout mughofle my royable I. St. Histor . 979 . De Peste Antoniniana. pestis a Paleno accuratives de:

G.xm

28064/1/

DE

PESTE ANTONINIANA

COMMENTATIO

QUAM

UT LOCUS IN FACULTATE MEDICA UNIVERSITATIS LITTERARIAE FRIDERICAE GUILELMAE

RITE SIBI CONCEDERETUR

SCRIPSIT

IUST. FRID. CAR. HECKER, M. D.

PUBLICUS ORDÍNARIUS, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS CONSTITUTI SOCIUS, REGIAE ACADEMIAE MEDICAE PARISIENSIS, SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE HUFE-LANDIANAE, SOCIETATIS MEDICINAE PER BORUSSIAM EXCOLENDAE ET MEDICO-PHYSICAE BEROLINENSIS, MEDICAE HAFNIENSIS, LIPSIENSIS, LONDINENSIS, LUGDUNENSIS, METENSIS, NOVO-EBORACENSIS, PHILADELPHIENSIS, TURICENSIS, SOCIETATIS NATURALI SCIENTIAE PROMOVENDAE WETTERAVIENSIS, PHYSICO-MEDICAE BONNENSIS, DRESDENSIS, ERLANGENSIS, HEIDELBERGENSIS, INSTITUTI ALBANENSIS, SOCIETATIS MEDICORUM SUECANAE HOLMIENSIS ET ACADEMIAE PONTANIANAE NEAPOLITANAE SODALIS.

BEROLINI, MDCCCXXXV.

TYPIS AUGUSTI GUILELMI SCHADE.

1.47hi

30

PESTE ANTONINIANA

COMMENNTATE

MATO

T LOCUS IN PACULTATE MEDICA UNIVERSITATES LITTERARIAE FRIDERICAE GUILELMAE



TINTER

IUST. PRID. CAR. HECKER, M.D.

GOOGLAS SERICIONE IS CONTRACT FRANCISCO OFFICIAL SECURISCIA PROFESSOR SERVICE SERICIA PROFESSOR SERVICE SERICIA SERVICE SERVIC

BÉROLINE MIDCCCXXXV

SARD-INGSTRACTOR OFFICE ALLEY

Introductio.

canque ex ipse morborum genia, variis temporibus vario, ursos esse docuit, quem commenis medicorum son-

sus facile percepisset, quid aegrotis, candem morborone in-

nariae constitutionis doctrina, quae extra scholarum com-

Nata est rex corum observationibus pracelara station

totella force sustinuit. Magnas etchim Hippografes,

Sydenbanus, Stollins inter con eminent, immortalis

menoriae viri, qui quan negratatronibus universis stu-

dian et operan impenderent, migna quantunt ad altion

rem illam et philosopham medicigam contulere, e

dolem prac seeferentilms, potissimum convenirel: venan Morborum popularium origines et in genus humanum effectus cognoscere, medicinae illius nobilioris est, quae febres et ulcera agitare non contenta, rerum naturam circunspecte scrutatur. Nec ea populorum illas strages prorsus neglexit, sed inde ab ipsis litterarum initiis quotiescunque liberum naturae conspectum scholarum caligines concessere - traditam sibi provinciam coluit, ornavit, amplificavit. Profectus quidem tanto tempori adeo non respondit, ut aegrotationum universarum doctrina, sive causarum rationem habeas, sive morborum, sive curationum, absolutioribus disciplinis aequiparari non possit - sed ea est medicinae conditio, ut in ipsa rerum humanarum mediocritate versetur, plurimique eius modum curandi utilitate terminare consueverint. Paucissimi fuere, qui oculos quaquaversum circumferrent, ut humanam vitam, late per rerum naturam effusam, communia simul et propria considerando, interpretari discerent, nec eorum auctoritas tantum valuit, ut subtiliorem morborum popularium doctrinam ad medendi artem vere pertinere medicis persuaderent. Attamen exiguum cordatiorum virorum numerum ingens nominum celebritas et praeclararum virtutum fama sustinuit. Magnus etenim Hippocrates, Sydenhamus, Stollius inter eos eminent, immortalis memoriae viri, qui quum aegratationibus universis studium et operam impenderent, mirum quantum ad altiorem illam et philosopham medicinam contulere.

Nata est ex eorum observationibus praeclara stationariae constitutionis doctrina, quae extra scholarum commenta posita, ipsam scholarum tum mediocritatem tum errores mirifice illustravit. Nam curandi modos qualescunque ex ipso morborum genio, variis temporibus vario, ortos esse docuit, quum communis medicorum sensus facile percepisset, quid aegrotis, eandem morborum indolem prae se ferentibus, potissimum conveniret: venam secare praestaret, an alvum laxare, sensus excitare, an medicatricem illam naturae vim expectare. Medicinam igitur minus temporis filiam, ut vir quidam egregius proposuit, quam constitutionis stationariae multiplicem progeniem esse probavit. Videmus, quantopere haec sententia medicorum scholis hucusque displicuerit, rudioribus potissimum, quae omnem eruditionem fastidiose spernendo, placita sua caligantibus oculis tuentur. Metuunt enim, ne, si ab omnibus recepta sit, auctoritati suae multum derogetur. Sed absint controversiae, quae dum maiora quaerimus, facile nos in sterilem disputationum arenam deducturae essent.

Satis ex his quae dixi patere arbitror, in altiorem quendam rationali medicinae locum ascendendum esse, unde, quales illae stationariae constitutiones fuerint, et quomodo generis humani vita per longam saeculorum seriem perque varia rerum discrimina se habuerit, circumspecte cognoscat. Talem ei locum pathologia historica offert, quae neglecta prius et posthabita, nostris demum temporibus in doctrinae formam redacta, vel potius ita inchoata est, ut altiori medicinae studio meliorem successum pollicea-

tur. Haec quid in genere efficiat, data opportunitate passim exposui, scriptisque in lucem editis 1), quantam inde morborum doctrina utilitatem capiat, luculenter demonstravi, neque dubium est, quin gliscente eruditorum industria, quam nuper non sine successu provocavi 2), maiorem etiam captura sit. Nam ut nunc res se habent, minima tantum pathologiae historicae pars adeo illustrata est, ut lucem aliorsum reflectere possit, ambitu eius latius etiamnum patente, quam ut unius alteriusve studia in explicandis constitutionum successionibus obscuris quibusque saeculis lumen adhibere, omnesque omnium temporum morbos, quos cognitos esse oporteret, explicare valeant. Plurimum igitur operis restat, nec egomet prius ab hoc cessabo, quamvis vires coepto sufficere vix videantur, paucissimique studiis suis me adiuvent, et artis medicae et historiae satis gnari, quam morborum popularium historiam, memorabilium puta et dignorum quibus opera impendatur, penitus absolvero, ac pathologiam historicam recentioris doctrinae fulcris stabilivero. Interim ad incognita viam pandere interest, neque solum vulgares morborum formae, quamvis et ipsae magnas subinde mutationes subierint, sed deperditae etiam illorum species sedulo perscrutandae sunt. Nam si vere, quod pathologia

¹⁾ Der schwarze Tod im vierzehnten Jahrhundert. Berlin, 1832. 8. — The black Death in the fourteenth century, from the German of J. F. C. Hecker, translated by B. G. Babington. London, 1833. 8. — Die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter. Berlin, 1832. 8. — Mémoire sur la Chorée epidémique du moyen age. Traduit de l'Allemand par F. Dubois. (Annales d'Hygiène publique, Tom. XII.) — The dancing Mania, translated by B. G. Babington. London, 1835. 8. — Der englische Schweifs, ein ärztlicher Beitrag zur Geschichte des funfzehnten und sechzehnten Jahrhunderts. Berlin. 1834. 8.

²⁾ Aufruf an Deutschlands Aerzte. (Wissenschaftliche Annalen der gesammten Heilkunde. 1833. Januar.)

historica confirmat, humani generis vita ab ipsis rerum initiis ad hunc usque diem una quaedam est, et uno velut tenore per singulas aetates manavit: cognosci penitus non poterit, nisi animum ad omnes morborum facies, quas perpessa est, adverterimus, nec audiendi empiricorum cuiusvis generis greges sunt, qui, quod ad quotidianum usum non pertinet, pro nihilo habent, prorsus ignari, rationalis medicinae fundamenta altiori vitae cognitione, utpote coelum et terras et saecula complexa, mirifice firmari.

Haud adeo tamen utilitate caret pathologia historica, ut non plurimos morbos, qui medicis nostris quotidie negotium facessunt, exemplorum similitudine et variabilis indolis notitia illustret, quod vel in frequentissimis, v. c. in pulmonum laterumque dolore, omnibus eluceret, si communis nostra institutio medica, qua sola plerique nituntur, paulo severior esset, nec ab eruditione nimium abhorreret. Saepe etiam morbi evanuisse creduntur, qui quum olim frequentiores essent, nunc ob raritatem latentes negliguntur, vel falsis nominibus distincti, in libris nosologicis locum suum non obtinent, nec desunt exempla, quibus maximi morbi, ideo quod scholarum praeceptis non respondebant, de industria ignorata sunt, quod variolis contigisse constat. In commentario de saltandi furore, nuper publici iuris facto, furores descripsi, mirasque nervorum distentiones nationibus quibusdam familiares, quae moribus suis et institutis adeo gloriantur, ut a mediae aetatis deliriis toto coelo abesse se credant. Miram nihilominus similitudinem inter illos et Sancti Viti choream, Italorumque tarantismum intercedere - memorabilia superstitionis exempla - sat evidenter demonstravi. Morbus cardiacus veterum, quem accuratiori descriptione nuper ab ineptis

medicorum interpretationibus vindicavi 3), jam pridem extinctus putabatur, nec amplius mentionem eius auctores faciebant, nisi falsae comparationis causa. Conferebatur autem potissimum cum typho, inter cuius synonyma recensebatur. Descriptionem vero meam e vestigio secuta est epistola a Cel. Scidlitzio, medico Petropolitano ad me data, qua certiorem me fecit, cardiacum morbum vicies a se in valetudinario sociorum navalium et classiariorum, cui praeest, observatum esse, neque se institutis cadaverum sectionibus ullo modo dubitare, quin carditis scorbutica sit 4). Scorbutus nimirum, apud ceteras Europae nationes fere extinctus, inter Rossos etiamnum viget, sic ut ipsae rariores eius formae quandoque sub oculos observantium medicorum veniant. Ita morbi nomen in integrnm post tot saecula restitutum est, optimeque fecisse veteres apparuit, qui sedem aegritudinis ad cor retulerint. Paulo post Exc. Crichtonus, Potentissimi Rossorum Imperatoris Archiatrorum Comes Illustrissimus, quater aut quinquies morbum cardiacum a se in militibus observatum, eumque perspicue scorbuticae indolis esse, mecum benevole communicavit. Omitto febrium sudatoriarum, quae in media Germania, maxime vero ad Moenum subinde observantur, evidentem similitudinem cum sudore anglico, morbo atrocissimo, quem historica commentatione nuper ab oblivione vindicavi, facileque pluribus exemplis afferendis, quae in promtu sunt, supersedeo, quum ex superioribus pathologiae historicae cum dignitas tum usus vel ipsis eius obtrectatioribus abunde pateat.

Jam exposita instituti ratione, pestem Antoninianam, aegrotationem universam satis memorabilem,

³⁾ In commentario meo de sudore anglico. p. 185.

⁴⁾ Wiss. Annalen der ges. Heilkunde, 1834. Mai. p. 123.

sed auctorum negligentia perobscuram descripturus sum, quae ab anno post Christum natum CLXIV, ad mortem usque Marci Aurelii Antonini Philosophi (a. CLXXX) terrarum orbem atrocissime devastavit.

Naturae perturbationes.

Imperantibus igitur Marco Aurelio Antonino Philosopho et Lucio Vero (a. CLXI - CLXIX -CLXXX) ingentibus natura tempestatibus diu et vehementer perturbata, crebris terrae motibus urbes et oppida subversa, fluminum inundationibus opulentissimae regiones vastatae, annonae caritate ad extremam miseriam gentes redactae sunt. Asia locustarum, agros longe lateque depascentium nubes iterum iterumque superEuropam evomuit, turbati per totam naturam ordinis testimonio 5). Accesserunt atrocissima post hominum memoriam Romanorum bella: in Asia cum Parthis, in Europa cum Marcomannis, Quadis, ceterisque Germanorum gentibus foedere coniunctis, sic ut gravissimae quaeque calamitates coniuncte miserum genus humanum divexarent. Minori quidem in pretio habitam hoc saeculo vitam humanam facile credideris, late enim grassabatur incredibilis morum corruptio, ac rerum motus fluxusque in languorem dederat universos; ea tamen est mortalium conditio, ut quo pronior ad impietatem levitas, eo superstitiosior obtineat anxietas, qua mortem, vitiorum ac libidinis finem, tremuli prospiciunt. Talem adspectum Stoici imperatoris aetas praebet, quam felicissimam recentior quidam histo-

^{5) &}quot;Quippe ab armis nusquam quies erat; perque omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella fervebant: terrae motus non sine interitu civitatum, inundationes fluminum, lues crebrae, locustarum species agris infestae, prorsus ut prope nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non, illo imperante, saevierit." Aurel. Victor. Epitom. Cap. XVI.

ricus satis inepte dixit ⁶), quoniam, ut videtur, Stoicam philosophiam regendo terrarum orbi prudenterque tenendis fascibus prae ceteris aptam iudicavit.

Perturbationum illarum rerumque gestarum exactam rationem reddere non possumus. Nemini enim tum naturae vim in homines accuratius observare in mentem venit, quo factum est, ut plurima historici quae scire interest, vel omiserint, vel casu tantum et oscitanter annalibus mandaverint; nec ipse divinus ille Galenus perniciosissimam aetatis suae pestilentiam ita descripsit, ut communium eius causarum conspectum vel obiter daret, cum Hippocraticam morborum popularium doctrinam dogmatice commentaretur, novas autem observationes ei addere superacaneum haberet. Aliquam certe excusationem meretur, quum tota antiquitas liberaliori ingenii impetu in observandis aegrotationum universarum causis careret, nec perspiciendo rerum nexui in calamitatibus eiusmodi publicis studium adhiberet. Historiarum autem scriptores minora tantum memorant, maiora omittunt, ac singularia plerunque nuntiant, quae nec annorum nec locorum ordine apte inter se coniungere licet.

Origo pestis.

Utcunque est, naturae magnas et insolitas perturbationes pestilentiam demum, eamque atrocissimam effecisse, certo constat, quae, sive mortalitatis, sive immensi quo grassabatur terrarum ambitus rationem habeas, vel maximis accenseri potest. Quando orta sit et ubinam, incertum est. Nemo enim in tanta temporis obscuritate clarius cernere potest, quum vel medio die aegrotationum primae origines nos lateant, ipsaque nostra aetate, quae tot et

⁶⁾ D. G. Hegewisch, Ueber die für die Menschheit glücklichste Epoche in der römischen Geschichte. Hamburg, 1800. 8.

tantis auxiliis oculorum aciem adiuvat, natura observatorum acumen et diligentiam ludat, nec se clarissima in luce revelari sinat. Attamen Mesopotamiam eius patriam fuisse, omnes consentiunt, ac si fabulae cuidam saepe decantatae fides est, Seleuciae primum invaluit, quam urbem, quum Avidius Cassius, Romanorum dux strenuissimus cepisset, milites quidam praedae avidi in templum Comei Apollinis irruisse, ibique foramen angustum reserasse dicuntur, ut pretiosum aliquid invenirent, quo facto «ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exsiluit, quae insanabilium vi concepta morborum — ab ipsis Persarum finibus adusque Rhenum et Gallias, cuncta contagiis polluebat et mortibus." Ita Ammianus Marcellinus 7), Iulius autem Capitolinus in Apollinis templo ex arcula aurea, quam miles forte inciderit, spiritum pestilentem evasisse refert, atque inde Parthos orbemque complesse 8), quod eodem fere redit. Pandorae igitur partes miles quidam Romanus egit, fatali arcula pestem per orbem terrarum effundente. Videmus credulam antiquitatem, quae anilibus istiusmodi historiolis superstitiosam fidem adhibere, quam rerum naturales causas inquirere maluit.

Quid vero censendum de labe illa primordiali? An contagium per eam intellexerunt veteres, simile illi, quod ex Aegypto oriundum, simili scilicet ex arcula profusum, atrocissima lippitudine milites inficere nostris temporibus credebatur? Amant homines in aegrotationum tragoediis eiusmodi deos ex machina, sique contagia

ceno caim in tanta temporis obse

⁷⁾ Ammian. Marcellin. rerum gestarum Lib. XXIII. c. 6. p. 402. Ed. Gronov. Lugdun. Bat. 1693. 4. — Conf. Dion. Cassii Historiar. Romanar. L. LXXI. c. 2. p. 402. Ed. Sturz. Lipsiae, 1824. 8. Vol. IV.

⁸⁾ Jul. Capitolin. Verus Imperator. p. 38. A. (Histor. August. Scriptores etc. Ed. Salmas. Paris, 1620. fol.)

re vera adsunt, corum origines potius ex arculis, quam ex vivis corporibus repetunt. Video multis hanc opinionem displicere. An forte, Schnurrero duce 9), de naphthae fontibus pestiferis cogitandum, quos imprudentes milites aperuerint? At caveamus, ne levis per se narratiuncula levior inepta interpretatione reddatur; nemo gentium contagiosas pestes ex bituminis foetore unquam subortas vidit. Quid igitur est? Videtur Romanis Seleuciam vastantibus accidisse, quod praedantibus militibus in civitatibus peste infectis saepe contigit, aegrorum videlicet lectos perquirentibus, vestes incaute pervolutantibus: aurum et libidinem dum quaererent, latente contagio imbuti sunt. Pestis autem in Mesopotamia exorta simile contagium habuit atque illa, quae orientalis dicta nostris temporibus subinde grassatur, utpote quod vestibus aliisque porosis rebus tanquam fomitibus firmiter et diutissime adhaeret, inclusis maxime, nec aqua aëreve purgatis. Ita Romanorum exercitus eodem prorsus modo mortiferum morbum concepit, ac Germani, qui Carolo Borbonio duce a. MDXXVII Romam ceperunt diripueruntque 10). Si quis praeterea pestis contagium ex ipso Apollinis templo emanasse crediderit, infectis eo vestibus a sacerdotibus de industria alicubi absconditis, coniecturam opinioni addiderit, illius naturae haudquaquam contrariam, quum absurdum non esse videatur, Chaldaeorum eiusmodi dolum supponere, quippe quorum interfuit, Parthorum dei fidem, cuius et simulacrum Avidius Cassius Romam miserat 11), vindictae atrocioris exemplo firmari. Fabulam certe de arcula et labe primordiali ab iis inventam et divulgatam esse credibile est.

manana exercitum iaus Seleuciae pesto infectum esse a

⁹⁾ Chronik der Seuchen. Vol. I. p. 91.

¹⁰⁾ Der englische Schweifs. p. 77.

¹¹⁾ Ammian. Marcellin. L. c.

Quodsi quis obiiciat, pestis Seleuciae, quo tempore a Romanis vastata est, viguerit nec ne, certo non constare, historicorum quidem testimoniis refelli non poterit talia enim non curabant boni illi scriptores - vehementes vero naturae perturbationes, quibus universa pestilentia praeparabatur, iam per aliquot annos vim suam in homines exercuisse, nec minus Vologesi permagno ad bellum apparatu, quam ipso bello, oppidorum obsidionibus, proeliis, militumque sub coelo ardente laboribus morbis pestiferis iam pridem viam apertam fuisse, nemo infitiabitur. Haud procul igitur a vero abesse nobis videmur, si intrantibus Seleuciam Romanis pestem iam inter cives grassatam esse, vel certe passim per Mesopotamiam velut ignem sub cineribus latitasse statuimus 12). Capta autem Seleucia ab Avidio Cassio est a. p. Chr. n. CLXV.

Iter et progressus pestis.

Interim Lucius Verus Imperator Antiochiae et Laodiceae, aliisve oppidis luxuria claris remanserat, spectaculorum voluptatibus, venationi et libidini in omni intemperantia effusae deditus 13). Parta ei a ducibus fortissimis nomina Armenici, Parthici, Medici, quum omnibus Syris risui esset, et ab Avidio Cassio luxuriosum morionem se dici pateretur 14), comitibus quippe ignavis, scortis, histrionibus, scurris mimariis, praestigiatoribus circumfusum. Bello post exactum quadriennium

¹²⁾ Dio Cassius (l. c.) Avidium Cassium refert, quum reverteretur, magnum numerum militum partim fame, partim morbo amisisse, rediisse tamen in Syriam cum reliquis militibus, unde Romanum exercitum iam Seleuciae peste infectum esse apparet.

¹³⁾ Iul. Capitolin. L. c.

¹⁴⁾ Vulcat. Gallican. Avidius Cassius, p. 40. C. apud Salmas.

Aurelio triumphum acturus, tristi profecto et lugubri itinere, quocunque enim cum abiectissimo suo aulicorum servorumque comitatu venit, luem secum detulit, mortibus victoriam, quam ipse non repertaverat, celebraturus. Quantum eiusmodi dissolutorum hominum agmen singulis provinciis periculum attulerit, ex ipsa contagii natura abunde patet; efficacius certe pestis quaquaversum disseminari non potuisset, quam redeuntis exercitus, illo infecti, per singula oppida et pagos hospitiis, et ebriosi imperatoris bacchanalibus.

Quod maxime Romae apparuit, ubi, quum populus etiamnum annonae caritate laboraret, ingenti pompa et incredibili hominum concursu triumphum ambo imperatores egerunt, patres patriae a senatu salutati, fatum ad gravem eiusmodi ludibrii vindictam temere provocante 15). Triumphum e vestigio secuta est atrocissima lues, cuius tanta saevitia fuit, ut usitatus sepeliendi modus iam non sufficeret, sed vehiculis sarracisque cadavera exportari oporteret. Quot civium millia morte absumta sint, quum nemo mortuos numeraverit, ex populi tantum anxietate et civilis ordinis perturbatione quadantenus coniici potest, quae quum tantae fuerint, quantae alioquin atrociores pestes sequi solent, ingentem mortalitatem fuisse patet, quae Atheniensium pestem plurimis in memoriam revocaret. Aliqua calamitatis publicae ac perturbationis civilis indicia Iulius Capitolinus reliquit, qui asperrimas sepeliendi sepulcrorumque leges ab Antoninis sancitas esse, ne uti quis vellet fabricaret sepulcrum, tantamque imperatorum clementiam fuisse refert, ut sumtu publico vulgaria funera iuberent efferri, quae quidem

¹⁵⁾ Iul. Capitolin. Marcus Antoninus Philosophus.p. 28.

humanitas apud Romanos, pauperes suos vix et ne vix quidem curantes, luis atrocissimae argumento esse potest. Permultos quoque e proceribus consumtos esse constat, quorum amplissimis statuas Marcus Aurelius collocavit, nimirum ut mortis recordationem honore defunctis habito mitigaret. Nec minus populi trepidatio et superstitiosa anxietas ex caerimoniis apparent, quas Imperator fieri iussit. Hic sacerdotes undique accivit, peregrinos ritus implevit, urbem quovis modo lustravit, ac demum ad placandam deorum iram lectisternia per septem dies antiquo ritu celebravit, quod extremum fuisse pestilentiae auxilium notum est. Incassum omnia, nam lues populum fame confectum, ideoque ad pestilentes morbos admodum proclivem, usque prostravit, ipsis deorum auxiliarium invocationibus sacrisque pompis contagionem in dies augentibus. Omni enim hominum concursu, quod omni tempore observatum est, contagiosae aegrotationes invalescunt. Accessit ad hoc instantis belli Marcomannici terror, tantus certe, quantum Cimbricum olim praecessisse scriptores narrant, qui ut pestis corpora contagio, sic animos ignavia infecit.

Interim totam Italiam plurimasque provincias pestilentia misere vastavit, sic ut pagi passim ac villae incolis destitutae corruerent, agri in dumeta ac silvas verterentur, luctus ubique et tristitia superstitum animos occuparent ¹⁶). Quam late luis imperium patuerit, obiter
iam Ammiani Marcellini verbis indicavimus; brevi
temporis spatio immensum a Tigride ad Alpes usque iter
confecerat, iamque has transgressa Gallias adoriebatur,
nec ipsis trans Danubium Germanis pepercit. Quod tacentibus licet historicis inde tamen coniici potest, quod
acerrimi illi, nec sane imprudentes Romani nominis hostes,

¹⁶⁾ Oros. Histor. L. VII. c. 15. p. 606. Ed. Colon. 1574. 8.

quieti et inertes optimam legiones aggrediendi occasionem praetermiserunt, peste scilicet laborantes et misere confectas. Nec minus videtur eo coniectura nostra firmari, quod in bello Marcomannico, lugubres has inducias secuto, mulierum Germanicarum cadavera saepe inventa sunt, armatarum et inter bellatores necatarum. Quod si quis, Cimbrici belli recordatus, ad cognitam Germanarum virtutem referre velit, Tacitum testem prae ceteris idoneum citare potest, qui eas proeliis interesse solitas «cibosque et hortamina pugnantibus gestasse» scripsit 17), ego vero bellatorum maxime paucitatem in causa fuisse putaverim, cur feminae virorum peste absumtorum scuta et frameas ceperint. Inter Romanos certe milites, haud exceptis castrorum ad Danubium praesidiis, tantas pestilentia strages edidit, ut Marcomannicum bellum, iam ante Parthicum triumphum necessarium, differri oporteret, quumque dilectus per triennium habitus sat magnam liberorum copiam non suppeditasset, servos demum et gladiatores - illi voluntarii, hi obsequentes, quo nomina honestiora essent, ab Imperatore dicebantur - et Dalmatiae latrones inter legionarios recipere opus esset 18), quod extremae necessitatis auxilium signis ignominiosum etiam tum putabatur.

Iam si quis in rebus humanae societatis — indelebilis ceteroquin — versatus, secum reputaverit, quanta pestis saevitia miseram eiusmodi rerum conditionem praecessisse debeat, mortuorum per singulas provincias numerum quadantenus aestimare poterit, nec fidem derogabit Eutropio, qui «Romae ac per Italiam provinciasque maximam hominum partem, militum omnes fere copias languore defecisse» scriptum reliquit 19).

¹⁷⁾ De moribus Germaniae.

¹⁸⁾ Iul. Capitolin. p. 31.

¹⁹⁾ L. VIII. c. 12.

Ceterum pestem per singula oppida et agros non semel tantum grassatam esse, sed iterum iterumque desaeviisse ex ipsa contagiosae aegrotationis natura, maxime autem ex causarum eius ratione, famis puta et calamitatis omnigenae diuque perseverantis, probabile est. Repetitum certe luis reditum in similibus pestilentiis observatum esse constat.

De annorum ratione parum inter auctores convenit. Eusebius quidem anno demum CLXVIII ambos Imperatores de Parthis triumphasse scripsit 20). Sed Lucium Verum iam secundo imperii anno, CLXII, in Asiam profectum, victo Vologeso post quinquennium Romam rediisse (a. CLXVI), nec ullam triumphum differendi causam adfuisse certum est. Inde hoc ipso anno Romae luem coepisse, belloque adversus Marcomannos adornando impedimento fuisse apparet, nec minus eam per integrum triennium singulas provincias, Italiam, Illyricum, Raetiam, Vindeliciam, Gallias, rel. vastasse, ex eo constat, quod per totum hoc temporis spatium dilectu habito, anno demum CLXIX ad bellum imperatores profecti sunt. Anno CLXVIII Romae vehementissime saeviit, - iterum an tertio incertum -, quod ex Galeni vita cognoscitur. Hic enim quum certam mortem prospiceret, somnio fortasse monitus, vel et tergiversatus, quod eodem redit, urbe se clanculum subduxit in Campaniam, et quum ne hic quidem tutus sibi videretur, Brundisio Pergamum vela fecit, unde eo tempore pestilentiam in Asia minore cessasse coniicere licet. Sub finem eiusdem anni, aut sequentis CLXIX principium ab imperatoribus revocatus, Romam iterum venit, atque Aquileiam profectus est, remittente, quod probabile

est,

²⁰⁾ Sancti Eusebii Hieronymi Operum T. VIII. Veronae, 1740. fol. p. 721.

est, pestilentia, sic ut maiores expeditiones iamiam parari possent 21). Sed ecce, quae finita credebatur pestis, confluentibus undique armatorum copiis, iterum recrudescens, novam bello moram attulit, fugientibus Imperatoribus, et Lucio Vero prope Altinum sanguinis ictu extincto. Veneno hic perierit, quod suspicabantur plurimi, an Posidippi medici culpa, qui sanguinem ei intempestive misisse dicitur, nostra non interest inquirere, quum lue non absumtum esse satis constare videatur 22). Paullo post Marcus Aurelius cum exercitu ad bellum profectus est, nec lues adeo recruduisse narratur, ut Romanis magno impedimento fuerit, rerumve cursum aliquatenus retardaverit. Attamen prorsus eam cessasse vix crediderim, quum per castra subinde, minori licet saevitia, eam grassatam esse, morbosque castrenses graviores, qui tam atroci in bello certo non defuerunt, eius indolem induisse probabilius sit. Galenus certe, quo tempore quintum de medendi methodo librum conscripsit, luem nondum extinctam fuisse testatur 23). Scripsit autem, quod inter eruditos convenit, iam senex 24), id est post annum CLXXX, quo ipsum adeo Marcum Aurelium Imperatorem peste absumtum esse, ex his Julii Capitolini verbis 25), suspicari licet: «septimo die gravatus est, et solum filium admisit, quem statim dimisit, ne in eum morbus transiret» - vim morbi contagiosam aperte indicantibus, quae etiamsi et aliis in-

²¹⁾ Conf. Claudii Galeni Historiam litterariam, conscriptam ab J. Chr. Guil. Ackermanno.

²²⁾ Jul. Capitolin. p. 29. A.

²³⁾ Verbis: «ον είη ποτέ παύσεσθαι.»

²⁴⁾ Conf. Ackermanni Historia litteraria Claudii Galeni, p. CXXVI. T. I. Ed. Kühn.

dis acgris contemnero orometato sirgis sib

esse castrensibus morbis potuit, nostrae tamen pesti meliori iure vindicatur, quum perbrevi decem annorum spatio alium eam pestilentem morbum e vestigio secutum esse, similium exemplorum copia verisimile non reddatur.

Natura et indoles pestis.

Hactenus quae de pestis Antoninianae origine, progressu et in singulas gentes saevitia constant. Cuiusnam indolis fuerit, ne verbo quidem historici indicant, nam sufficit iis calamitatis publicae, miseriae, perturbationis imago, medicas quaestiones non curant. Confugiamus igitur ad medicos, atque Galeno nos erudiendos tradamus, quem in describenda pestilentia Thucydidem imitatum esse, facile quis crediderit. Nolumus eum cum tanto viro conferre, animique vigorem ei, qualis illius fuit, facile condonamus - sed ne simplicem quidem observatorem egit! Nam in aliis rebus ad taedium usque et nauseam verbosus, in describenda peste laconico et perobscuro sermone utitur, atque in communem veterum Graecorum reprehensionem incurrit, pestem ubique obiter oscitanterque tractantium. Frustra propria observandi ratione veteres excusaveris - quae sive laudabilis videatur, sive vituperanda, a nostro certe morbos scrutandi modo haud paullum differt - alios enim morbos, hac ipsa ratione observatos ad amussim descripserunt, sic ut facile hodieque discernantur. Videtur potius incomprehensibilis illius negligentiae causa contagiosa morbi horribilis natura contineri, quae, quum vitae in civitatibus ratio nullam prorsus securitatem polliceretur, summam praecautionem, atque adeo fugam suadebat. Factum est ita, ut virtute medica inutili habita, ignominiosam quandam tergiversationem omnes probarent, nec mortem in curandis aegris contemnere, humanitatem esse intelligerent.

Galenus vero Andromachi portentosam theriacam pro imperatoribus proceribusque tuto conficere, quam pestem prope aegrotantium lectos aliquo cum periculo observare maluit. Innumeros quidem (graece $\mu\nu\varrho io\nu\varsigma$) lue affectos se vidisse affirmat ²⁶), quo numero et strenuissimus quisque contagionis contemtor gloriari potuisset, — novimus vero ex recenti memoria, quae fides magnis eiusmodi numeris habenda sit; ipsa gravissimarum rerum incuria vix paucos peste tactos ab eo observatos esse indicante. Nihilominus, quae de peste Antoniniana reliquit, quamvis manca et mutila, pretiosissima tamen sunt, testis enim oculatus, idemque medicus, et unicus loquitur.

Primum inter symptomata locum exanthema quoddam tenet, a Galeno ita descriptum, ut morbus inde, qualis fuerit, cognosci possit. Pustulosum fuit in plurimis, totumque corpus foede occupavit, frequentibus pustulis in ulcuscula abeuntibus et crustas, εφελείδας a Graecis dictas, quae quum decidissent, cicatriculae solidescentibus ulcusculis inducebantur, perinde ut in variolis. Haec perfecta et expressa exanthematis forma videtur fuisse, imperfectior «aspera et scabiosa» (τραχύ τε καὶ ψωρῶδες) a Galeno describitur, i. e. papulosa, quae desquamationis quodam genere iudicabatur ²⁷).

Frustra singulare hoc exanthema cum recentiori aliquo comparaveris, peticulae autem et miliaria quae inter morbos nostri temporis pestilentes orientalem maxime pestem comitantur, omni genere ab eo differunt. Quis enim unquam vidit, ea in ulcera verti, crustis induci ac cicatrices relinquere? Cuiusnam vero indolis pestilens illud exanthema fuit, si cum recentioribus conferri nequit? Fateor rei difficultatem incredibili veterum in ob-

igrene allo auscryavit Galenus. Eoder

²⁶⁾ De praesagitione ex pulsibus. L. III. c. 4.

²⁷⁾ Method. med. L. V. c. 12. p. 360. 367. T. X.

servandis axanthematis negligentia augeri, quum egregio eorum nomine contenti, varias efflorescentiae formas morborumve exanthematicorum decursus describere supervacaneum habuerint. Ita ne huius quidem nostri exanthematis decursus, gravissimi licet per totam antiquitatem, in medicorum libris non modo exacte descriptus, sed vix leviter adumbratus est. Galenus iuvenem quendam, medicinae empiricum, nono pestis die ulceribus toto corpore foede affectum vidit, eundemque triduo post, confirmatis quadantenus cicatriculis, ad mare navigasse, et Tabiis lactis usu persanatum esse refert 28). Peropportunum profecto rei obscurae indicium, unde, si quid ego hic iudico quum et aliquot dies exanthematis eruptionem praecessisse, et aliquot rursus dies id floruisse verisimile sit probabili coniectura assequimur, similem illud ac variolas decursum absolvisse, id est tertianis circuitibus distinctum, qualis in plerisque febribus exanthematicis observatur.

Generaliter Galenus efflorescentiam ἐξανθήματα μέλανα dicit, eademque tantum in plurimis, haudquaquam vero in omnibus ulcerosa evasisse asserit. Hinc certas quasdam exanthematis differentias fuisse consequens est, quae variolarum cognitis varietatibus per ἀναλογίαν quadantenus illustrari possunt. Cum illis certe et cicatricularum confirmatio aliquam similitudinem refert, quippe quae non in omnibus restitere, in multis pellicula laevi relicta. In aliis igitur pustulae altius in cutis contextum penetravere, perinde ut variolae in cicatrices abeuntes, in aliis superficiariae tantum restitere, sic ut illaesa cuti epidermis tantum in vesiculam attolleretur. Ipsae autem cicatriculae bidui vel tridui spatio confirmabantur, quod in iuvene illo observavit Galenus. Eodem fere tempore

²⁸⁾ Meth. med. L. c.

videntur cuticulae squamae in sicco sive papuloso exanthemate decidisse, quod pustuloso aliquando intermixtum fuisse, aliquando et solum extitisse credibile est. Exanthematis vero nigrities extremae malignitatis putridaeque indolis argumento esse potest, sic ut adhibita putridarum febrium comparatione, id quod omissum in morbi imagine est, facili negotio restituatur. Putridos igitur odores expirabant aegri, torpore et soporosis affectibus post praevium furorem laborabant, nec minus periculum ex internarum partium inflammationibus oriebatur, accedentibus profluviis, foedoque decubitu carnes ad ossa usque exedente. Quam perniciosa lues, quantaque vis eius contagiosa fuerit, facile inde coniicitur, Galeni fragmentis historicorum testimonia firmantibus.

Critica ceteroquin exanthemata fuisse, i. e. ad morbi iudicationem plurimum contulisse, ex iisdem Galeni fragmentis luculenter apparet. Plerisque enim qui evaserunt, supervenere, morientibus his, vel magis periclitantibus, quibus vel imperfectiora, vel nulla prorsus provenere, impedita scilicet, vel et suppressa critica vi, quam Galenus, ut pathologiae humorali more suo satisfaciat, sic interpretatur, quasi putridas sanguinis reliquias, veluti cinerem quempiam, ad cutim natura trusisset ²⁹).

Haec de exanthematis pestilentis forma et significatione constant, quod variolas nostras fuisse, ex recentioribus nonnulli, inter quos Cel. Krausius 30) eminet, evincere conati sunt — repugnante variolarum historia, quae sub finem demum saeculi sexti id genus morbi in Europa subortum esse luculenter ostendit. Longum foret

²⁹⁾ Meth. med. L. c.

³⁰⁾ Ueber das Alter der Menschenpocken und anderer exanthematischer Krankheiten. Hannover, 1825. 8. p. 86.

repetere, quae de variolarum in Europa origine iam pridem disputavi ³¹), satius est igitur hunc morbum, quocum exanthema nostrum tantum ut simili simile comparari potest, a quaestione nostra exclusisse. Pertinet vero illud ad pestem antiquam, morbi genus deperditum, quod plane proprium fuisse, nec alio cum morbo pestilenti comparabile, ex ipsis historicorum descriptionibus cognoscere licet. Optime autem antiquam pestem Thucydides descripsit, qui quum laborantium corpora nec valde calida, nec pallida, sed subrubicunda fuisse et livida, pustulisque parvis et ulceribus obsita referat, Galenicum illud exanthema cum Thucydideo congruere, facile apparet ³²).

Alterum symptoma vehemens tussis est cum raucedine et oris foetore, quam ab inflammatione pul-

³¹⁾ Geschichte der Heilkunde, Vol. II. p. 000. — Die Post im sechsten Jahrhundert: Litt. Annalen der gesammten Heilkunde, Vol. X. p. 1.) — La Peste nel sesto secolo del Dottor Giusto Fed. Car. Hecker. Traduzione dall' originale Tedesco di Valentino Dott. Fassetta. Venezia, 1834. 8.

³²⁾ Galen, in Libr. VI. Epidem, Hippocr. Comment, I. Aph. 29. -Ad antiquam pestem utique pertinere mihi videtur Herodoti Pneumatici locus, multis eruditorum controversiis hucusque vexatus, quem ab Aëtio servatum comparationis causa subiungere liceat: - - κατ άρχας δε των πυρετών, ου των άπλους έρων, αλλά των κακοχυμοτέρων, περί όλον τὸ σωμα. μώλωπες ξμφερείς τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασιν. έν δὲ τοῖς κακοή θεσι καὶ λοιμώδεσι πυρετοῖς έλκώδη ταῦτα γίγνεται, τινά δὲ καὶ ἄνθραξι παραπλήσια, πάντα δὲ πλήθους διεφθορότος και την έξιν διαβιβρώσκοντος σημεία χυμού έςι. τα δέ έν προςώποι γιγνόμετα κακοηθέςερα πάντων είσι, χείρω δε τὰ πλείονα των έλαττόνων, και τὰ μείζονα των βραχυτέρων, και τὰ ταχέως άφανιζόμενα των πλείονα χρόνον επιμενόντων, χειρότερα δε τά πυρούντα των κνησμούς επιφερόντων. καὶ τὰ μεν επιγιγνόμενα της κοιλίας έφεςώσης καὶ μέτρια τὰ διαχωρήματα ποιούσης άγαθά. τὰ δὲ ξεούσης της κοιλίας γιγνόμενα καὶ ξμέτων ξνοχλούντων πονηρά. εὶ δὲ ἐπιγενόμενα ξηραίνοι την κοιλίαν, άγαθά. παρέπονται δὲ τοῖς ἐξανθήμασι κακοήθειαι των πυρετών, έκ του πλείζου δε και συγκοπαί. - Lib. V. fol. 96. b. ed. Aldin.

monum repetere licet. Multa Galenus de iuvene illo, admodum tussiente, adeoque et asperae arteriae inflammatione affecto narrat, qui quum ulceratam in trachea partem manifeste sentiret, crustulam extussiverit. Thucy dides autem post sternutamenta aegros in raucedinem incidisse et vehementem tussim, scriptum reliquit, quam eiusdem naturae fuisse, atque Galenicam illam, dubium non est.

Quem pulmonum contextum occupaverit pestilens haec peripneumonia, quaeritur. Tunicam viarum spiritalium mucosam potius, quam pulmonum parenchyma dixerim, nulla enim in peripneumonia exquisita raucedo, contra in bronchitide maxima est, nec adeo tussis in illa, in hac vero magnopere vexat, et spasmodicam indolem assumit, quam verborum sensus apud Thucydidem quodammodo significare videtur. Crustula vero illa Galeni, quam pro lymphatica membrana habere licet, qualis in diphtheritide recentiorum extussitur, putrido cynanches genere, bronchiticam peripneumoniae indolem extra omnem dubitationis aleam ponit, nec sane haesitaverim, pestilentem nostram bronchitidem cum exanthematica illa conferre, quae in perniciosis variolis frequentissima, variolosis papulis pustulisque in mucosa viarum spiritalium tunica efflorescentibus originem suam debet. Similiter enim ut in variolis, simili exanthemate in antiqua peste tunica illa affici potuit. Putrida ceteroquin peripneumoniae indoles spiritus foetore abunde indicatur, communi putridorum morborum symptomate, quod in peste nostra perinde a Thucydide atque a Galeno notatum, experientia teste in putridis quibuscunque pulmonum inflammationibus curantium sensus vel maxime ferit.

Pestilens totius oris ac linguae fauciumque rubor, quem Galenus certissimum pestis signum fuisse perhibet, adiecta eius cum herpete esthiomeno et erysipelate comparatione, a Thucydide disertis verbis indicatur. Inflammationis argumento esse non potest, quum aegrotantes deglutiendi facultate, quod Galeni iuvenis ostendit, haudquaquam caruerint, inflammatoriam vero intestinorum conditionem quodammodo arguere videtur, ipsamque adeo anginam quandoque supervenisse credibile est.

Funesta aegris alvi profluvia in utraque peste fuisse constat. Nigras sive atrabilarias, i. e. cruentas deiectiones post flavas et rufas se observasse, Galenus testatur. Nunquam ineunte morbo vel increscente nigram alvum deiiciebant aegri, sed inclinato iam et ad finem vergente; paucis vero criticum, plerisque exitiale extitit eiusmodi profluvium. Longe plurimos ceteroquin aegros diarrhoea periisse, Galenus refert, haud repugnante Thucydide, quod mirum videri non potest, symptomatis, huius naturam reputantibus, quae nostris demum temporibus paullo accuratius examinata, a veteribus, ipsoque adeo Thucydide έλεώσεως nomine, quasi per divinationem significata est.

Generalia quae supersunt et secundaria, minoraque pestis nostrae symptomata illustrare supervacaneum iudico, si meliora etiam ac minus mutila Galeni testimonia investigandi comparandique studium adiuvarent, expressis ceteroquin verbis pestis sui temporis similitudinem cum Thucydidea affirmantis.

Et haec hactenus. Sufficit memorabilem luem, quam saeculi significandi causa Antoninianam diximus, antiquo pestis generi vindicasse, cuius integram historiam alia scribendi occasione, si Deo placet, explicabo.

Loci Galenici ad pestem Antoninianam.

Method. medend. L. V. C. 12. p. 360. T. X.

Ευρομεν δε μάλιζα την θεραπείαν αυτών (των έλχων των εν ταις τραχείαις άρτηρίαις) ενθένδε. κατά τον μέγαν τούτον λοιμόν, δν είη ποτε παύσεσθαι, ποωτον εισβάλλοντα τότε, νεανίσχος τις ένναταΐος έξήνθησεν έλχεσιν όλον τὸ σῶμα, χαθάπες χαὶ οἱ ἄλλοι σχεδὸν απαντες οι σωθέντες, εν τούτω δε και υπέβηττε βραχέα. τη δύσεραία λουσάμενος αὐτίκα μὲν ἔβηξε σφοδρότερον, ανηνέχθη δ'αὐτῷ μετὰ τῆς βηχὸς ἢν ὀνομάζουσιν ἐφελχίδα. χαὶ ή αἴοθησις ήν τὰνθρώπω σαφής χατὰ τὴν τραγείαν άρτηρίαν την έν τῷ τραχήλω πλησίον τῆς σφαγης ήλχωμένου τοῦ μέρους. καὶ μέντοι καὶ διανοίξαντες αὐτοῦ τὸ στόμα κατεσκεψάμεθα τὴν φάρυγγα, μή που κατ' αὐτὴν είη τὸ ελκος. οὕτ' οὖν οὕτως ἐπισκοπουμένοις εφαίνετο πεπονθέναι, καὶ πάντως αν εδόκει τῆ διόδω τῶν ἐσθιομένων τε καὶ πινομένων αἰσθησις έσεσθαι τῷ κάμνοντι σαφής, είπερ έλκος ήν αὐτόθι. καὶ μέντοι καὶ δί όξους καί τινα διὰ νάπυος εδώχαμεν αὐτῷ προσενέγχασθαι, βεβαιοτέρας Ένεχα διαγνώσεως. ούτ οὖν τούτων έδαχνεν αὐτόν τι, καὶ ἡ αἰσθησις ην εν τῷ τραχήλω σαφής, ήρεθίζετό τε κατ εκείνο τὸ χωοίον ώς εξοομάν είς βήχας. συνεβουλεύομεν οὐν αὐτά αντέχειν καθόσον οδός τ' έστι και μή βήττειν. Επραττε δή τούτο βραχύ τε γαρ ήν το έρεθίζον, ήμεις τε τρόπο παντί συνεπράττομεν είς οὐλην άχθηναι τὸ έλχος, έξωθεν μέν επιτιθέντες τι των ξηραινόντων φαρμάχων, υπτιον

δὲ κατακλίναντες, εἶτα διδόντες ύγρὸν φάρμακον τῶν πρὸς έλχη τοιαύτα ποιούντων · καὶ τοῦτ ἐν τῷ στόματι κατέγειν άξιοῦντες, ἐπιτρέποντα βραχύ τι παραβόεῖν εἰς τὴν τραχείαν άρτηρίαν. καὶ τοίνυν οὕτω πραττόντων αὶσθάνεσθαι σαφως έφασχε της από του φαρμάχου ζύψεως περί τὸ έλχος, είτε κατά διάδοσιν γιγνομένης, είτε καί αὐτοῦ τοῦ φαρμάχου περὶ τὸ έλχος δροσοειδώς παραδρέοντος είς την άρτηρίαν και παρηθουμένου. ην δε ούδ' αὐτὸς ὁ κάμνων ἄπειρος τῆς ὶατρικῆς, ἀλλά τις τῶν ἐκ τριβής τε καὶ γυμνασίας ἐμπειρικῶς ὶατρενόντων · αἰσθάνεσθαί τε οιν έλεγε παραδόξοντος είς την άρτηρίαν τοῦ φαρμάχου καί ποτε καὶ βῆχα κινοῦντος, ἀντείχε μέντοι πολλά μη βήττων. και τοίνην αυτός προθυμηθείς έν Ρώμη μέν, ένθα περ ελοίμωξεν, άλλας τρεῖς ήμέρας επέμεινε μετά την εννάτην, μετά ταῦτα δένθεὶς έαυτὸν πλοίω κατέπλευσε μέν πρώτον ἐπὶ τὴν θάλατταν διὰ τοῦ ποταμοῦ, τετάρτη δ' ὕςερον ἡμέρα πλέων εν ταίς Ταβίαις γίγνεται, και κέχρηται τῷ γάλαχτι θαυμαςήν τινα δύναμιν όντως έχοντι καὶ οὐ μάτην έπηνημένφ. - - -

Ρ. 367. Οι δ' ἐχ τοῦ λοιμοῦ ὁρδίως ὑγιάζεσθαὶ μοι δοχοῦσι τῷ προεξηράνθαι τε καὶ προκεκαθάρθαι σύμπαν τὸ σῶμα. καὶ γὰρ ἔμετός τισιν αὐτῶν ἐγένετο, καὶ ἡ γαςὴρ ἄπασιν ἐταράχθη. καὶ οῦτως ἤδη κεκενωμένοις τοῖς σωζεσθαι μέλλουσιν ἐξανθήματα μέλανα διὰ παντὸς τοῦ σώματος ὰθρόως ἐπεφαίνετο, τοῖς πλείστοις μὲν ἐλκώδη, πᾶσι δὲ ξηρά. καὶ ἦν εὕδηλον ὶδόντι τοῦ σεσηπότος ἐν τοῖς πυρετοῖς αἴματος εἶναι τοῦτο λείψανον, οἶον τέφραν τινὰ τῆς φύσεως ὼθούσης ἐπὶ τὸ δέρμα, καθάπερ ἄλλα πολλὰ τῶν περιττῶν. οὐ μὴν ἐδέησέ γε πρὸς τὰ τοιαῦτα τῶν ἐξανθημάτων φαρμάκου καθίςατο γὰρ αὐτόματα τρόπφ τῷδε. τινῶν μὲν, οἶς γε καὶ ἡλκώθη, τὸ ἐπιπολῆς ἀπέπιπτεν, ὅπερ ὀνομάζουσιν ἐφελκίδα,

κάντεῦθεν ἤδη τὸ λοιπὸν ἐγγὺς ἦν ὑγείας καὶ μετὰ μίαν ἢ δύο ἡμέρας ἐπουλοῦτο· τινῶν δὲ, οἶς οὐχ ἡλκώθη, τὸ μὲν ἐξάνθημα τραχύ τε καὶ ψωρῶδες ἦν, ἀπέπιπτε δὲ οἶόν τι λέμμα, κἀκ τούτου πάντες ὑγιεῖς ἐγίγνοντο. θαυμαςὸν οὖν οὐδὲν εἰ καὶ κατὰ τὸν πνεύμονα τοιούτων ἐξανθημάτων γεγενημένων ἐσώζοντο διὰ τὴν ξηρότητα τῶν ἑλκῶν. — —

De atra bile C. IV. p. 115. T. V.

Τοιοῦτον (αξμα μέλαν) δ' αὐτοῖς καὶ ὁ μακρὸς ούτος λοιμός ό επὶ τοῦ μαχροῦ θέρους γενόμενος ελογάζετο. και των γε διασωθέντων ούκ ολίγοις έκκρισις διὰ τῆς κάτω γαςρὸς ἐγίγνετο τῶν καλουμένων μελάνων έπὶ τῆς ἐννάτης ἡμέρας τοὐπίπαν ἢ έβδόμης ἢ ένδεκάτης. ὧν καὶ αὐτῶν ἐφαίνοντο διαφοραὶ πλείους, ἐνίων μεν εγγυτάτω της μελαίνης ήχόντων, ενίων δ' ούτε δηξιν έν ταις διαχωρήσεσιν έχόντων, ούτε όσμην δυσώδη, πολλών δ' εν τῷ μεταξύ τούτων κεθεστηκότων. ὅσοις δὲ τῶν νοσούτων ἡ διὰ τῆς κάτω γαςρὸς ἔκκρισις οὐχ ἐγένετο τοιαύτη, τὸ σῶμα πᾶν πεοιεξήνθησε μέλασιν εξανθήμασιν όμοίοις. ένίστε δὲ καὶ υἶον λεπὶς ἀπέπιπτε, ξηραινομένων τε χαὶ διαφορουμένων αὐτῶν, χατὰ βραχὺ δὲ ἐπὶ πλείοσιν ἡμέραις μετὰ τὴν χρίσιν. ὅσοι δε διεχώρησαν αποιβή την μέλαιναν, απέθανον απαντες. ενδείχνυται γάο ή τοιαύτη χατωπτήσθαι το αίμα. - -

De simplicium medicamentorum temperamentis ac facultatibus L. IX. C. 1. Sect. 4. Περὶ Σαμίας γῆς. p. 191.

Τ. XII.

Έν δὲ τῷ μεγάλφ τούτφ λοιμῷ παραπλησίφ την ὶδέαν ὄντι τῷ κατὰ Θουκυδίδην γενομένφ πάντες οἱ πιόντες τούτου τοῦ φαρμάχου διὰ ταχέων ἐθεραπεύθησαν, ὅσους δ' οὐδὲν ὤνησεν ἀπέθανον πάντες, οὐδ' ὑπ' ἀλλου τινὸς ὡφελήθησαν· ῷ καὶ δῆλον ὅτι μόνους τοὺς ἀνιάτως ἔχοντας οὐκ ὡφέλησε.

De Praesagitione ex pulsibus L. III. c. 4. p. 357. T. IX.

Μύριοι τοιοῦτοι κατὰ τὸν πολυχρόνιον λοιμὸν ἄφθησαν ἡμῖν, ἐφ' ῷν ἦν θεάσασθαι τοὺς ὶατροὺς ὶδιώταις ὁμοίους, ἐνίους δὲ καὶ πολὺ χείρους ὶδιώτου συνετοῦ. καὶ πολλοὺς γοῦν τῶν ἰδιωτῶν, εὶ καὶ μηδὲν ἄλλο, τὴν γοῦν ἐκπνοὴν τῶν καμνόντων ἔςιν ἰδεῖν
ἐπισκοπουμένους, καὶ εὶ δυσώδης φαίνοιτο τὰ χείρω προσδοκῶντας. — συνεπισκοποῦνται δὲ δή που καὶ
τὰ παρὰ τὸ ζόμα μόρια, καὶ εὶ βραχύ τι τῆς
λοιμῷδους ἐμφαίνοιτο χρόας αὐτοῖς, ἀποφαίνονται λοιμώττειν τοὺς οὕτως ἔχοντας. ἱατρῷ
δέ γ' οἶμαι μᾶλλον ἰδιώτου φαίνεσθαι καὶ ταῦτα. τοῖς
μὲν γὰρ ἐρυσιπελατώδης, τοῖς δ' ὁμοία τοῖς ἐσθιομένοις
ἔρπησιν ἡ χρόα φανεῖται, διεσπαρμένη κατὰ πλείονα μόρια τῆς κατ' ἀρχὰς, ὡς οἷμαι. Conf. p. 359.

Comment. IV. in Hippocratis Aphorismos. Aph. 31. p. 683. T. 17. P. 2.

Πάμπολλα τοιαῦτα διαχωρήματα (μέλανα) κατὰ τὴν λοιμώδη νόσον εἰδομεν ταύτην τὴν μακρὰν, οὐ μᾶλλόν τι τοῖς ὀλεθρίως ἔχουσιν ἢ τοῖς σωθησομένοις ἐπιφανέντα, οὐ μὴν ἀρχομένων τε καὶ αὐξανομένων τῶν νοσημάτων ἐωρᾶτο. συντήξεις γὰρ ἦσαν αὶ τότε κενούμεναι ξανθαί τε καὶ πυὸραὶ τὸ χρῶμα. τὰ δ' ὕστερον ἐπιφαινόμενα μέλανα, καθάπερ αἴματος τρὺξ, ἤτοι γε ὑπεροπτηθέντος αὐτοῦ τὴν γένεσιν ἔσχεν ἢ σηπεδόνα

τινὰ ἀλλόχοτον, ἀνάλογον ταῖς ἐν τῆ γαστρι γενομέναις ἀπεψίαις, ὅταν εἰς μοχθηροὺς χυμοὺς ἡ διαφθορὰ τελευτήση.

Comment. III. in Hippocratis Libr. III. Epidemiorum. Aph. 57. p. 709. T. 17. P. 1.

Καὶ ὁ καθ΄ ἡμᾶς γενόμενος οὖτος ὁ μακρότατος λοιμὸς ἐκ τῶν διὰ τῆς κοιλίας κενουμένων σχεδὸν ἄπαντας ἀνεῖλεν. ἦν δὲ σύντηξις τὰ κενούμενα καὶ τοῦτ ἔοικεν ἀχώριστον εἶναι σύμπτωμα τοῦ καλουμένου λοιμώδους ὶδίως πυρετοῦ, καταλαμβάνοντος τοὺς ἀνθρώπους καὶ χωρὸς λοιμοῦ.

Comment. I. in Hippocratis Libr. VI. Epidemior. Aph. 29. p. 885. T. 17. P. 1.

— Προστεθέντος δὲ κατὰ ὁῆσιν τῷ πεμφιγῶδες τοῦ δεινοὶ, ὁ λοιμώδης μόνος ἐστὶ δηλούμενος, οὖ τὸ πρὸς ἄλλους διαφέρον ἐστὶ τὸ σηπεδονῶδες εἶναι τὸ θερμον, οἶόνπερ καὶ τῷ νῦν γινομένῳ πολυχρονιωτάτῳ λοιμῷ. διὰ τοῦτο οὖν οὐδὲ θερμοὶ καὶ διακαεῖς ἐνεφαίνοντο τοῖς ἀπτομένοις οἱ λοιμώττοντες, καίτοι τά γ' ἔνδον ὶσχυρῶς διακαιόμενοι, καθάπερ καὶ ὁ Θουκυδίδης ἔφη· «καὶ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἀπτομένῳ σῶμα οὕτ ἄγαν θερμὸν ἦν οὕτε χλωρὸν (ἦν), ἀλλ ὑπέρυθρον, πελιδνὸν, φλυκταίναις σμικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός· τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδονίων τὰς ἐπιβολὰς μήτ ἄλλο τι ἢ γυμνοὶ ἀνέχεσθαι.»

directions, other sis postantials in the state prophytics and distributions of the sistematical distribution and the state of the state

Comment III. in Hippocratis Libr. III. Epidemiorum.

Καὶ ὁ καθ ήμᾶς γενόμενος ούτος ὁ μακρότατος λοιμος έκ τον δια της καιλίας κενουμένων αγεδόν άπαντας κυτίλεν, ην δε συντηξίς τα κενουμένα. καὶ τοῦτ ἐοικεν ἀχωριστου είναι σύμπτωμα τοῦ καλουμένου λοιμοδόνς λόλος πυρετού, καταλαμβάνοντος τοὺς ἀνθρώπους καὶ χωρίς λοιμού.:

Comment. I. in Hippociatis Libr. VI. Epidemior. Aph. 29. p. 885. T. 17, P. I.

Τις οστεθείντος δε κατά όποια το περιμερώδες του δεινοι, ό λοιαώδες ρόνος έντι δηλούμενος, ου τό πρός άλεος διαμέρου έστι τό σηπεδου όδες είκαι τό θερ- πόλεος διαμέρου έστι τό συν μισμένω πολική ραμιωτάτω λοιμό. δια τούτο ούν σύδε θεριοί και διακαείς ένειμαί- νούτο τοίς άπτομένως δι λοιμώττοντες, καίτοι τά γ΄ δυνόυ όσει όσκε μέν έξωθεν άπτομένω καλι ό Θουκυδίδης όσε που πέν έξωθεν άπτομένω σώμα ούν άγαν θερ- τοίναις ερικρούς και ελκεον έξηνθηκός τα δε εντός ούν τοίναις ερικρούς και ελκεον έξηνθηκός τα δε εντός ούν τως έκαιδτο ώστε μέρε τών πάνν λεπτών επάπειων και αυν τως έκαιδτο ώστε μέρε τών πάνν λεπτών επάπειων και αυν τως έκαιδτο ώστε μέρε τών πάνν λεπτών επάπειων και αυν τως έκαιδτο ώστε μέρε τών πάνν λεπτών επάπειων και αυν τως έκαιδού έκειδού ενέγεσθαϊκ







